

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 89. (Neovidensis 1808. Nro. 88.)

Tiberius Sartorius, ex Campis Elysiis — ad
quemdam ministrum Status negotiorum
internorum.

E l y s i u m.

Elysiu-Meum.-DieMartis15.Nov.1808. (Neov. 28. Oct. 1808.)

Excellentissima Dominatio fortunæ sibi da-
cit: eo tandem rem perduxisse: ut omnia
Cœnobia in regno abrogarentur bonaque eor-
um divenderentur; non audeo equidem quid
ei obvertere, omnia vendita sunt; & liceat
mihi profari — pecunia nihilominus in æra-
rio nulla est. Tam aurivora sunt hodierna
tempora! pietistæ contendunt, nescio quam ob
Causam, nullam in iis cubare benedictionem

Ego vero vita mea multos reperi, qui
minus Civitati, concivibusque suis profuere,
quam sacerdotes. Dantur Capitalistæ, senes
cœlibes, regulariter otiosi, in copia, qui abs-
que Crimine quidem, (ita interpretandi vo-
luntas est,) at absque religiosa etiam & oivi-
li virtute vitam transigunt. Expendat Do-
minatio majorum urbium Incolas, & cater-
vatim tales deprehendet. Id genus hominum
imaginem ob oculos ponendam decrevi, de-
promoque ex bono Gellerto nostro Erastum;
hujus adumbrationem percipiat, & mox tur-
bam Erastorum contuebitur.

Erastus, plus solitudini, quam socialitati deditus, sibi uni vivit; facultates suas ita dissipat, ut honestam & tranquillam vitam agere valeat. Caret familia, caret domesticis curis, est dominus sui temporis, curat, cavetque sedulo ne cuiquam incommodet, aut oneri accidat. Ex decennio vivit una die tam regulariter, ac altera, gaudet sanitate, viribus, robore, & sorte sua contentus est. Octava matutina evigilat, herbæ Theæ potus, nova, & fenestra usque decimam eum distinent. Circa hoc tempus negotia sua curat, hoc est: hesternas erogationes Diario suo inserit, revidet pridianum Cultum, an quid desit aut deficiat, ordinat hodiernum, scribit, quas decori ratio svadet litteras, pervolvit librum ex libraria officina sibi allatum, aut delineat dimidia hora animi causa, aut Clavicordio operam dat. Ante vestem indutus est, quam duodecimam sonet, prandet moderate, neque ex tricennio quid ebrietas sit, novit. Atque tempus ab hora secunda, usque noctis decimam ad rationes exactum habet. Horam impendit lusui Biliard dicto, unam dandis vel recipiendis hospitibus, dimidiam somno, unam lectioni amœni libri, unam deambulationi favente tempestate, unam coenæ, & decima hora regulariter Morpheo se credit. Ab hac vivendi ratione nec lato unque recedit, excepto die Domini, quo Ecclesiam adit. Hic vir laudem fert modestiæ, & regularis agendi vivendique rationis; servus ejus celebrat: quotidie preces ab hero fundi, vespere psalmos

decantari; & sane Erastus moderatus, frugalis est, non amicus voluptatum, & æstantium animi oblectationum; de nemine male loquitur, cuius debitum honorem impertit, quod debet, præstat exacte, vivit sibi tranquille, & tectus. Nihilominus quid est Erastus, si omnis ejus vitæ ratio disquiratur? an plus regulariter otioso? quis præcipuus finis consiliorum ejus? Commoditas & methodica desidia. Vivit temperanter, ut valetudinem servet; vivit frugaliter, ne egestate prematur, vivit ordinate, ad gravia, quæ ex inordinata vita consequuntur, Incommoda declinanda. Vivit sibi, sed non aliis. An ea propter magnæ hominum societati admotus? promovet voluptatem suam, ast, an hoc ratio probat? sollicite facultates suas tractat, quod id prudentis obligatio sit; verum: an usus fortunarum, non etiam utilis usus temporis obligatio est? tempus ad curandum, & conservandum Corpus solum adhibet, igitur vivit solum ad vivendum tamdiu, quamdiu potuit; habet animam ad suos sensus tantum, atque rationem ad objecta solum detegenda, quæ suæ blandiuntur commoditati, opinatur nil a se patrari mali, quod vitia detestetur, quorum pœna consecrarium est; at rationes omnes vitæ ejus malæ sunt, quod ratione & divino fine reprobentur. Ipse suis, quas inquit, rationibus probat: animam hominis ens activum esse, quod qualibet hora eidem occupationem assignet; cur non perspicere potest: melius esse utilem & laboriosum virum esse, quam sedu-

lum otiatorem? An spe ducitur: a Deo olim se æterno præmio donandum, ob operam, voluptati suorum sensuum ordinate impensam? quodsi tamdiu somnio indulgere ei liceret, quamdiu voluntas fert, probabile est maximam vitæ partem somno transacturum, licet exiguas dotes a natura acceperit, nihilominus communem hominibus obligationem habet rationis, & religionis, suas exiguas animi dotes ad communem salutem candide adplicandi, his ejus virtus & tranquillitas nititur. Tranquille ei vivendum foret, ut Concivis, non vero ut fanaticus Eremita. Licet ei commoditati studere, secus ab auctore naturæ speluncæ inclusus, necessariisque vitæ subsidiis, si pro se solo sibi vivendum fuisset, denique falsum est: commodam vitam, tranquillam quoque fore. Quod si apud animum expendat Erastus (serias etenim omnes Cogitationes desidia opprimere nequidquam valet) an, quæso, animus & conscientia ei sensualem vivendi rationem non objicit? an vacuitatem in animo non advertit? non anxietatem: ab aliis, quibus nihil utilitatis præstat, se contemptum iri; non pudorem: quadraginta, quinquaginta annos exegisse, quin melior evaserit? an protectrici divinæ providentiæ dextræ confidere potest, ejusque præsidium polliceri, si fortunis, quibus in suam pure commoditatem utitur, lapsus, inopia laboraverit? an spem, mortem cogitans, concipere potest? si hæc mentis emolumenta non habet, nequit esse tranquillus — solummodo commoditate, cui servit, grato illicio ad ali-

quot annos pro suo obsequio præmiatus, unaqueque punitus.

Quid vero, si idmodi Erastus crimine obstrictus foret? — hic apto loco Secularisatio adhiberi posset, sique omnia inutilia reipublicæ membra eidem principio, cui monasteria subjicerentur, quantum obsecro foret secularisandum?

At si Secularisatio non plus, nec minus denotat, quam status abolitionem, tum asseri jure potest: Anglos eidem systemati fideliter adhærere; quippe maritimum continentalium potentiarum statum abolere, cunctisque contingentis navibus potiri nituntur.

Ita Russicam in portu Balthico Classem tractare voluere, at hæc maritima secularisatio iis non successit. Nuncii quippe Petropoli de 5. Octob. memorant: vehementem turbinem ab ortu spirantem obsidentem combinatam Classem Anglo Svecicam a portu Balthico removisse, hac occasione in rem suam usa Classis Russica Coronam vela dedit, ubi feliciter, & citra ullam jacturam die 3. Oct. adpulit. Constat ea Octo linealibus, & aliquot mediæ molis navibus.

Hoc Angli Londini nequaquam perspexere, nec futurum existimavere in paginis quippe gallicanis Articulo Londino de 13. h. m. hæc leguntur.

Heri rumor pererebuit; I. Saumarez successisse, ut Classem in portu Balthico cremaret. (Gallicæ officiosæ pagine de 23. Oct. ex quibus memoratus Lodinensis Articulus ex-

cerptus hoc nuncium seqv. animadversione comitantur : „Angli diu jactantes, & minantes reapse anchorali lineæ imminebant, verum Londini nunc sciendum : eos, postquam opportunum situm Russ. Classis metuendosque tormentarios aggeres, a maritimæ rei ministro erectos, conspexissent, e red uxisse sese recipere. Classis incorrupta Coronam adpulsit.”)

In Ephem. aliis legitur, „Germanicæ paginæ nomina texunt omnium illustrium personarum Erfurtum adpulsorum. verum de fine Conventus altum tacent. Interea privatæ relationes definite innuunt : de divisione totius borealis Europæ agi. Additur : Consilium excelsoꝝ Fœderatoꝝ probe combinatum, ejusque primum effectum in Turcia Asiatica adpariturum, in qua ex longo tempore terrificæ revolutionalis motio efformata est, consentiente aula Persica ; Interea Napoleon perniciosam suam auctoritatem in Portam Ottomanicam exercere pergit, cum novum regimen permoveret, rigorosum Systema obsidionale adversus Anglos adoptare.

Porro gallicæ paginæ Articulo ex Anglia memorant Deputatos Communitatis Consilii Londin, præeunte Prætoꝝ Urbis (Lord Major) in Repræsentatione intuitu Conventionis Portugallia seqv. declarasse :

„Relata insigni victoria, quam virtus bellica, & disciplina copiarum Britannicarum retulit, & qua parta videbatur hostis non amplius evasurus, cum dolore conspici cogi-

mur, tam gloriose partas frontibus militum nostrorum detrahi, & hosti conditiones admissas, quæ Anglicano nomini ignominiam adserunt, & rationi M. Britanniae adversantur; eundem doloris sensum excitat obligatio inita: Russicam Classem secuta cum hac potentia pace, reddendi, tantumque numerum remigum Russicorum citra permutationem restituendi. Hac propudiosa Conventione inita, Classes Anglicanæ copias Gallicanas in patriam reducendas habent, quæ bellum in nos & fœderatos nostros rursus prosequi possunt, hæc Guarantia animos Portugallorum graviter adficiat oportet, quos tuendos habemus, & plena agnitio tituli, & dignitatis Galliarum Imperatoris cum prætermissione regiminis Portugallici legitimæ auctoritati hujus status, non potest non summe acerba accidere."

Eædem Gallicæ paginæ de 23. Oct. intuitu sui status hæc continent :

Literæ Bajonnæ de 18. h. confirmant nuncium de adventu Marchionis de la Romana ad S. Andream. Cum suspicio esset; consilium eum habere se cum Gen. Duce Blach conjungendi, idcirco Gen. Dux Verdier sat notabili agmine Durangum expeditus dicitur, quo aliæ quoque copię profectæ sunt.

Hesternò, secundum hodiernum Monitorum Imperator comite Imperatrice, & regina Hollandiæ hujus anni artefactorum expositionum in palatio Louvre dicto Conclave invisit, atque singularem voluptatem intuitu imaginum exhibuit, quæ potissimum scenas ex ejus

factorum plena vita exhibebant. Domino David, qui cum ceteris artificibus aderat, Insignia honorariæ legionis contulit. DD. Gros, Girodet, Verner, & Pruohon Legionariorum Insignibus donati sunt. In palatio Architecturæ declarabat; sperare se: ut proxima expositione hæc ars idem fastigium præbeat, quod pictoria jam jam adepta. D. Cartelier Insignibus hon. leg. ornatus. Multis aliis artificibus Imperator nummos excitandæ diligentiae præberi jussit, plures quoque imagines ad rationes suas emendas præcepit.

B I O G R A P H I A.

Sartoris (Tiberius) Benedictinus, Director Theologiæ & Professor ejusdem, una Bibliothecarius Universitatis Salisburg. natus Henogoviæ Svevorum 26. Sept. 1747. in juniore ætate Professor in Abbatibus Imperialibus Zwysfaltæ, Ottobsuræ & Weissennaviæ, A. 1790 Salisburgum venit, & 15. Dec. 1798 Zævfaltæ obiit, pluribus operibus ut illustris, firmum quæ Theologus se orbi probavit; qui culturam studiosæ Juventutis cum fervore prosecutus; ad eum finem tendunt præcipua ejus opera: De Christiana populi Institutione 1793. De relationibus animarum Curatoris in sua parocia 1794. Theologus in sensu novissimæ litteraturæ, & necessitatibus præsentium temporum 1796.